CONSTIT. XV.

UT SALUTAREM BAPTISMUM [1] IN QUOCUNQUE SACRO ORATORIO PERAGI LICEAT [2].

Idem Imperator Stephano ſanctiſſ. Conſtantinop. Archiepiſcopo, & Patriarchæ univerſali.

ETiam hic venerandæ ſextæ ſynodi [3] facer canon [4], qui non in privatarum ædium oratoriis ſeorſum, ſed in ſolis in communem uſum conſecratis templis, divinam regenerationis lotionem perfici vult, quum ſimilia cum illis jubeat, qui ſacroſancta ſacrificia & myſteria in privatis domibus celebrari vetant [5]: ideoque a nobis jam pridem confideratius expenſi ſunt: tanquam illorum germanus ſimiliter correctionem conſequetur. Statuimus igitur, *quemadmodum de ſacrificiis*, ſic quoque de ſalutifero baptiſmate, ut & ipſum in quocunque ſacro oratorio quibuslibet peragere licitum ſit. Nam hæc tam ſtricte ſacrum ſynodi decretum conſtituiſſe mihi quidem videtur, propter eos qui quanquam ſacerdotum nomen gerant, profani tamen ſunt, & quos ad lavacrum adducunt, pollutos reddunt: qui (ut apparet) domos ejusdem opinionis hominum ſubeuntes, non rem divinam faciunt, ſed cum iis qui conveniunt inauſpicati aliquid moliuntur. Hanc vero proviſionem tametſi & divinam eſſe & multa ſalutaria continere conſtet: non tamen illa ad impietatis plenos a ſuis vitiis coërcendos ſufficiat. Nam & res audax eſt malitia, omnique modo, clauſis etiam oratoriis, ad explendum propoſitum ſuum, ſuam inveniat viam. Verumtamen quum nunc divina gratia omnes perverſæ opiniones ſint profligatæ, etiam quantum ad hoc attinet, quamobrem reipublicæ hoc decretum ad prohibendam in privatarum ædium oratoriis regenerationis lotionem obtrudatur, nullam equidem eſſe neceſſariam cauſam video.

CONSTIT. XVI.

UT QUI VIGINTI [6] ANNOS HABET, HYPODIACONUS CREARI POSSIT.

Eidem.

VEtus verbum, *quod [7] de rebus ſuis dicenti aures eſſe aperiendas monet*, cum in aliis omnibus perbelle ſeſe habeat, tum hic longe eſſe pulchrius apparet. At quorſum hoc? Civilis [8] lex ſtatuit, *ne minor* viginti quinque annis in divinis officiis cœctur hypodiaconus. Decretum ſacrum contra ſtatuit, ut qui ad iſtiusmodi miniſterium accedit, hunc vigeſimus annus ad ordinationem perducat. Dignum itaque ſacram legem de rebus ſuis præcipientem audire Imperatoria noſtra majeſtas rata, & in eandem cum illa ſententiam deſcendit, & ſtatuit, *ut qui* ad vigeſimum annum pervenit, modo anteactæ vitæ ratio obſtaculo non ſit, quantum ad ætatem, hypodiaconi officium ſuſcipere non impediatur.

CONSTIT. XVII.

DE PUERPERIS, QUANDO DIVINORUM MYSTERIORUM PARTICIPES FIANT: ET QUANDO INFANTES BAPTIZENTUR, POST QUADRAGINTA VIDELICET DIES, EXTRA QUAM SI NECESSITAS URGEAT.

Eidem.

ID quod beatitudo tua poſtulat, a vobis procedere, quam a nobis originem ſumere ac proficiſci, æquius fuerat. De re [9] enim ſacra ſanctitatem tuam ſancire oportebat. Verum quoniam ſuper uno duntaxat capite concilium conſultare (quum de multis decernere concilii ſit) inconveniens eſſe, nos vero & citra concilium decretum facere poſſe dicitis: admonitionem ſuſcipientes, quibus de rebus poſtulationem inſtituiſtis, de iis conſtitutionem emittimus. Quum itaque Dominus & ſervator noſter, quo ſplendore gloriæ ipſius illuminarentur qui in tenebris ambulant, juxta atque nos carnis atque ſanguinis noſtri particeps factus fuerit: valde, mea quidem ſententia, a ſalutifera ipſius providentia diverſe ſentiunt, quotquot eam quæ ex recenti puerperio decumbit, & morte [10] præ [11] foribus conſiſtente, nec diem quem ipſi expectandum autumant (quadrageſimum nempe poſt partum) expectante, citiusque obtorto velut collo protrahente, corripitur: illuminatione [12] indignam eſſe opinantur, & ut ob corporis immunditiem [13] revera illa e vita immunda excedat (quippe quæ in ſacris non inſtitutur [14], nec ſacri lavacri luſtrationis, regenerationisque particeps fiat) efficiunt. Neque vero illi periculi damnique magnitudinem, quam inconſiderata ipſorum & pernicioſa religio adfert, præ oculis habent. Verum ea illa eſt abſurditas, ut oratione non indigeat. Talem enim mulierem incredulam reformationeque deſtitutam decedere & iſtiusmodi ob cauſam pro eo quod inter ſervandos collocanda eſſet, in perditorum dominatoremque locum rejici: quomodo fas, Deove, qui per fidem in ipſum & in aqua Spiritque regenerationem, ſalutem donat, non grave atque acerbum eſt? Vanam igitur iſtiusmodi prudentiam dehinc in futurum e medio tollentes de mulieribus, quæ recens pepererunt, quæque naturali expurgatione occupatæ ſunt, ſtatuimus, *ut ſi quidem* alia quacunque affectione morbida ipſarum vita non tentetur, usque ad præfinitum quadraginta dierum tempus expertes maneant, nondum initiatæ illuminatione [15]: ad ſacra receptæ & initiatæ, ſacroſanctorum myſteriorum perceptione. at ſi quis ipſis morbus, qui vitæ internecionem miniteretur, ſuperveniat & incumbat: ſacrarum rerum omnibus modis participes fiant. Etenim ſi illis [16] qui propter enormia flagitia multis annis vivifica communione arcentur, mors ad obruens præſcriptum tempus incidit, neque quisquam hos ſacrorum participatione prohibere ſuſtinet, qua ratione hæ propter naturales carnis fordes prohibebuntur? Quod profecto non tam propter mulierem hanc immunditiem, quam ob alias cauſas in intima legis ratione reconditas, & veteri [17] prohibitum eſſe lege, & gratiæ tempus tradi-tionis loco ſuſcepiſſe puto. Exiſtimo ſiquidem ſacram legem id præſcripſiſſe, quo protervam eorum qui intemperanter viverent, concupiſcentiam caſtigaret: quemadmodum & alia multa per alia præcepta ordinantur & præſcribuntur, quo indomitus quorundam in mulieres ſtimulus retundatur. Quin & hæc providentiæ quæ legem conſtituit voluntas eſt, ut partus a depravatione liberi ſint. Quia enim quicquid natura ſupervacaneum eſt, idem corruptivum & inutile eſt, quod hic ſanguis ſuperfluus ſit, quæ illi obnoxiæ eſſent, in immunditie ad id temporis vivere illas lex jubet: quo ipſo etiam nominis ſono laſciva concupiſcentia ad temperantiam redigatur, ne ex inutili & corrupta materia ipſum animans coagmentetur. Et ſane de infantibus eundem ad modum conſtituimus, *ut ſi non inquietentur*, inimicosque naturæ caſus ſuperent, antequam gratiæ ſplendore illuſtrentur, quadrageſimus [18] dies expectetur. Conſentaneum namque eſt, ut quemadmodum fœtus quadraginta [19] diebus in naturæ maternoque receptaculo plene informantur, ſic etiam in æquali dierum numero in divinæ gloriæ æternique omnium Patris domum procedant. Si tamen & octavo [20] a partu die, baptizare aliquis volet, neque id abſurdum fuerit. Dominus enim noſter *Chriſtus* octavo die circumciſus, impoſito circumciſioni fine, pro hac vivifico baptiſmate initiari conceſſit. Verum hæc obtineant, ſi nulla neceſſitas, quæ mortem minetur, exiſtat. At ſi periculum aliquod emergens vim vitæ inferat, omni diligentia omnibusque viribus etiam intra octavum diem ſacram lotionem peragi oportebit, ne non illuminatus, neque ſacri lavacri, atque adeo ſummi boni expers partus decedat.

CONSTIT. XVIII.

UT [21] IN SPONSALIBUS CONSTITUTA POENA EXIGATUR [22].

Idem Imperator Styliano excellentiſſ. ſacrorum officiorum magiſtro.

IN omnibus rebus & dictis quod præſtantius ſit ſeligi, reprehendendum non eſt. Atque tunc quidem, ut aliquid ſequare, aut declinandum cenſeas, non eorum qui aliquid aut faciunt aut dicunt, habenda ratio: ſed eorum quæ fiunt ac dicuntur, cognoſcendus ſtatus eſt. Idcirco quod conſuetudini placuit *ut in ſponſaliorum* reprobationibus pœnæ imminerent iis, qui reprobare inſtituerent, id in legis autoritatem collocamus. Arbitror enim, id quod conſuetudinis viſum eſt, ea lege quæ de hujusmodi rebus lata eſt, nihil improbabilius eſſe, ac res ipſas referre in melius. Nam quum lex arrhæ perditione, aut in duplum [23] reſtitutione ſolum temeritatem puniat, hæc definitum pactoque conſtitutum in ſponſaliorum reſciſſione ſubiri damnum vult. Ac ſane [24], ne (ut fieri aſſolet) ſponſalia ſurſum deorſum ferantur, hoc mihi (quemadmodum dixi) majorem obtinere vim videtur. Solius enim arrhæ perditio, quæ in eum qui dedit, ac deinde ſponſalibus non acquieſcit, conſtituta eſt: ejusque in duplum reſtitutio, quam mulctam is qui arrham cepit, deindeque in pacto convento non perſiſtit, ſuſtinet: ut propter pœnæ levitatem ad pactorum reſciſſionem, qui id facere cogitant, facilius ferantur, fiat. At ex pacto definitæ pœnæ gravius damnum ſibi obvenire videns inconſtans ille, tardior omnino ad divellenda ſponſalia fiet. Quod ſane nos etiam nuptialibus contractibus magis conducibile fore animadvertentes, quod ex conſuetudine fieri ſolet, in legitimam conſtitutionem traducimus. Ex arrhæ ſiquidem [25] perditione faciles ſponſaliorum everſiones video: ex pœnæ perſolutione non item. Nam gravius diſpendium (pacto enim conſtituta pœna arrha major prorſus atque gravior eſt) vel invitum inhibens, animi inconſtantiam acquieſcere illis, quæ antea de ſponſalibus placuerunt, compellet. Sic igitur quod a conſuetudine confirmatum eſt, quemadmodum hactenus, ita deinceps & obtineto, & cauſas dijudicato: tum etiam qui ſponſalia evertit, pœnæ exactione feritor.

CONSTIT. XIX.

DE PACTO [26] PATERNO, EX ÆQUO HEREDEM FUTURUM FILIUM.

Idem Imperator Styliano excellentiſſ. ſacrorum officiorum magiſtro.

NOn contemnendi alios ſtudio (ut & antea a nobis dictum eſt) neque ut gloriam nobis paremus, ad legum correctionem proceſſimus: ſed ut, quod conducibile non eſt, quoad ejus fieri poteſt, a ſubditorum conſortio removeamus: id ſcientes, ad moderandam rempublicam legum rectam conſtitutionem omnium eſſe præſtantiſſimam. Nam *qui leges [27] reipublicæ oculos eſſe dixerit*, is profecto mea ſententia illas ita vocans, nihil indecens pronunciaverit. Quemadmodum enim res maxime neceſſaria eſt animali non titubans oculus, ita & reipublicæ legum æquus & rectus ſtatus. Hujus ergo nos curam gerentes, poſteaquam in ſelecto [28] Codice legem eſſe cognovimus, (quæ propter evidentem abſurditatem in hominum animis neutiquam locum invenit, ut ſuſciperetur: nedum vim aliquam & efficaciam habet. Contraria enim ſtatuit naturali, quæ a parentibus liberis debetur, æquabilitati, adverſuque filium patri ad iniquitatem ſeneſtram aperit: quin & parentem ut illi morem gerat obſtrictum mendacio, doloque obnoxium facit) poſteaquam, *inquam*, iſtiusmodi quandam eſſe legem animadvertimus, tametſi etiam ante noſtram ſanctionem ipſam ne ſuſciperetur, excluſerit communis hominum voluntas: tamen nos nihilominus omnem illi prorſus functionem & uſum decreto adimimus. At quid dicit? Etiamſi, *inquit*, pater, quum in matrimonium collocaret filium, illum poſt deceſſum ſuum ex æqua parte cum aliis fratribus paternorum bonorum heredem fore pacto promiſerit, in poteſtate tamen illius, ſi velit, erit, ut pactum ejusmodi negligat, aliisque liberis amplius attribuat: & illi cui æquam portionem in hereditate pactum concedebat, minorem aſſignet. Hoc itaque quanquam alioqui (quomodo diximus) in republica nullum locum habeat, noſtro etiam decreto velut in exilium ejectum, omnibus modis in rempublicam ingreſſu prohibemus. Statuimus vero, *ut parentum* [1] nemo ſirin filiorum, quibus cum reliquis liberis æqualem hereditatis portionem ſervatum iri in nuptialibus contractibus ſponponderint, innovare tentet. At ſi quis pactiones ſuas aſpernari, & illius, cui tantundem, quantum alii fratres habituri ſunt, promiſerit, portioni detrahere compertus fuerit: ſciat is, pœnitentia mutatam voluntatem invalidam atque vanam habendam. Ex æquo enim cum aliis fratribus fecundum initum pactum filius in bona ſuccedet. Neque vero mendacium veritati [2] præferri ulla ratio patitur, nec æquum eſt, neque rationabili animali convenit pacta [3] conventa per improbationem adulterari. Atqui ſi quid aliud, hoc certe hominem decet [4], ut verbis ſuis fidem præſtet: niſi mendaciis veritatem corrumpendo deſtitutus ratione, eorum albo, quæ ratione prædita ſunt, excidere velit. Quinimo nec illud conſentaneum eſt, ut parentes iis qui pariter [5] ex ipſis nati ſunt, non parem curam exhibeant, neque æquabiliter ipſorum vitæ proſpiciant: ſed alios quidem uberiores facultates habere, aliis vero nihil parcere, neque illorum miſereri, tametſi inopes in miſeria victuri fuit, velint. Cæterum æquum eſt ut quemadmodum omnibus liberis ex æquo vitam impertiti ſunt, ita etiam ad hanc facultates impertiantur: nequaquam vero, velut ancipiti libra his levius quiddam, illis vero gravius, pro inæquabilitate animi ſui attribuant.

CONSTIT. XX.

UT [6] NE MARITUS, QUEMADMODUM UXOR, ILLA PRÆMORIENTE, PRÆTER [7] DONATIONEM PROPTER NUPTIAS QUICQUAM CAPIAT.

Idem Imp. Styliano excellentiſſ. ſacrorum officiorum magiſtro.

CUm vetuſtis legibus [8], quæ de pactionibus nuptialibus tractant, tum in prima matrimonii coitione, tum in ejus diſſolutione, quam mors in alterum conjugum irruens efficit, æquabilitatem [9] & viro & mulieri aſſignare viſum ſit: haud ſcio qui re moti, quibus poſtmodum leges condere ſtudio fuit, diverſis conſtitutionibus has ſubjecerint. Etenim vetuſtiores [10] leges mox a conjugii coitione æquales eſſe collationes, tum muliebrem, tum virilem, & ut altero vita defuncto, quum liberi nulli ſupereſſent, nec pactum in quo quippiam de lucro fingnificaretur, ſubeſſet, ex æquo ad utrumque ſua reverterentur, conſtituerunt. Si vero de lucro pactum initum eſſet, tunc ut utercunque vita exceſſiſſet, qui ſuperſtes eſſet receptis rebus ſuis, inſuper quantum pacto comprehenſum eſſet lucraretur, & in ambobus lucri æqualitas ſervaretur: ita ut viro præmortuo mulier dotem, propterque nuptias donationis partem aliquam, eamve totam, ſi ita conveniſſet, aſporataret: & ſi mulier ante virum in mortem inciditſſet, vir donationem propter nuptias conſervaret, illumque lucrum, ſive dos tota, ſive ejus pars, prout pacta vellent, ſequeretur. Atque hæc quidem quum vetuſtioribus placuiſſent, poſterioribus [11] diſplicuerunt. Quapropter & contra ſtatuunt: quanquam non recte: Statuunt autem, uti ſtatim ab initio conjugii inæquales procedant collationes, & major dos ſit, donatio vero propter nuptias contractior, ejusque uxor ab eo die quo matrimonium contractum eſt, ſit domina, quanquam (ut fieri aſſolet) alterius viri conſortio poſtmodum ſe mancipet. Et inique judicantes, ubi matrimonium morte diſtractum fuerit, mulieris mœſtitiam lucro conſolantur: viri vero ſupra amiſſionem uxoris, diſpendio rerum ipſius mœrorem adaugent. Jubent enim, uti mulier ſuperites cum ſua dote univerſam propter nuptias donationem auferat, & ad hæc ex reliqua mariti ſubſtantia tantum quantum dotis donationisque propter nuptias in unam ſummam contractarum quadrans conficit, ceu heres capiat. Quod ſi mulier ante maritum mortem obeat, tum ut illius heredes una cum dote donationem propter nuptias lucrentur: maritus autem nihil aliud quam quantum dotis donationisque propter nuptias quadrans facit, habeat: utique res eum ad modum procedat, live ſubſit pactum, ſive nihil hujusmodi inter ipſos convenerit. Sed hæc quomodo non iniqua? quomodo pro jure hæc non extrema injuria eſt? Quæ quidem præmortuo marito mulier accipit, in his fortaſſe aliqua ratio: quæ vero illa præmortua ad ejus heredes devolvuntur: in his quomodo non omnis injuſtitia & enormitas ineſt? Ea propter decenter valde ſapienterque perpetuo ille memorandus Imperator, & qui ex ipſius lumbis natus poſt ipſum *rebus præeſt*, fecit, qui veteribus legibus autoritatem conſervandam, quæque perverſe contra ſtatuerent, eas e republica in exilium ejiciendas putavit. At enim refractaria contentioſaque conſuetudo eſt, ac frequenter abſurda aliqua opinio, ubi in hominum animis (eorum præſertim, quibus recto judicio illam expendere curæ non eſt) altas velut radices egit, haud facile extirpari quit. Qui homines anticipatam opinionem, quamvis frivola ſit, amplexantur, noluntque ſequi meliora. Adeo ut ne nunc quidem in æternum commemorandi pa-

1 Superins dixit περὶ τῶ μὴ τὰς ἱερὰς μυσταγωγίας ὑπὸ λαϊκῶν ἄνευ ἐπιτελεῖν. *Novell.* 4. nunc de baptiſmo. 2 Et ita abrogatur Canon 59 Synodi 6. in Trullo. adde *Nov.* 58. 3 *In Trullo* §. 17. 4 *Canon.* 59. 5 *Novell.* 4. 8. *eod. Nov.* 58.
6 *Nov.* 74. *J. eod. cap.* 14. *fin.* 6. *in Trullo.* 7 Ne dicatur alioquin cum poeta: Dedecus ille domus ſciet ultimus. 8 Et ita abrogatur *Novella Juſtiniani* 123. *c.* 13.
9 Cuique turpe eſt. jus in quo verſatur ignorare *l.* 2. §. 43. *ff. de origine juris* 12. Quintil. 3.
10 Puerpera præ foribus mortis poſita *l. ult.* §. 1. *C. qui pottestes.* 11 Παρὰ πόδας. *Scrimg.* 12 Φωτισμῷ, id eſt, baptiſmo. 13 Puerperæ immuditiis.
14 Ἀμύσταγωγήτου. 15 Id eſt, baptiſmo: hoc innuit, mulieres baptismo non initiatas intra diem 40. puerperii baptizari non poſſe, niſi cauſas aliquas aliud exigat: baptismo initiatas non admitti intra eodem dies ad ſacram communionem. adde Photium *tit.* 3. *c.* 18. 16 Excommunicitis, mortis tantum impendentis cauſa, communio datur. 17 Moſis lege, mulier, ſi maſculum peperiſſet, ſeptem diebus immunda: 30. diebus præterea manebat in ſanguine purificationis ſuæ: ſi fœminam, duabus ſeptimanis immunda: 66. diebus in purificatione nullam rem ſacram attingere poterat. *Levit.* 12. 18 Leo monet, non tamen jubet, ad quadrageſimum usque diem baptismum differri in infante, niſi mors infanti imminet. 19 Quadrageſimo die purus formatur, ut dixi ad *l.* 3. *in fin. ff. de ſtat. adde l.* 39. *ff. de pœnis.* vel quadrageſimo nono. 3. *Gell.* 10. 20 Octavo die baptismum infanti conferri poſſe.
21 Extat Epitome apud Harmenopulum 4. *tit.* 1. §. 26. 22 Si ita eſt, abrogatur *l.* 134. *ff. de verb. oblig.* 23 Vid. *l.* 5. *C. de ſponſalib.*
24 Ratio decidendi.
25 Hoc innuit, duplí pœnam legibus conſtitutam non ita adſtringere: quantum conventa atque pactæ. adde 20. *Gell.* 1. ubi de pœna injuriæ legib. XII. tabularum conſtituta.
26 Vid. *l.* 15. *C. de pactis.* 27 Oculi Reipublicæ leges. Ὀφθαλμοὺς πολιτείας τοὺς νόμους qui dicit, non errat. Perſis ὀφθαλμοὶ βασιλέως, oculi regis dicebantur Satrapæ, ut per quos Rex omnia ſpectaret: ſicut Regis aures *delatores*, per quos Rex audiebat omnia quæ ab unoquoque gerebantur. Suidas ὀφθαλμὸς βασιλέως. 28 Ἐν τῇ τῶ κανόνος ἐκλογῇ, hoc eſt in Codice repetitæ prælectionis.

Iuntas:

1 Dixi ad *l.* 15. *C. de pactis.* 2 Mendacium veritati poſtponendum.
3 *l.* 7. §. 7. *ff. de pactis.* 4 Eſt enim grave fidem fallere. *l.* 1. *ff. de conſtituta pecun.*
5 Paria ejusdem juris cenſentur.
6 Adde *Novell. Juſtin.* 97. 7 Υπόδολον Græci hic appellant: ut & Harmenop. 4. *tit.* 10. §. 10. apud quem extat hujus Novell. epitome. 8 *d. Novell.* 97.
9 *d. Novell.* 97. *de æquabilitate doris & donationes propter nuptias.* 10 *Nov.* 97. *c.* 1.
11 Id eſt, his, quæ Juſtiniani tempori ſecutæ ſunt. 12 Inæqualis poteſt eſſe quantitas dotis & donationis propter nuptias. *Nov.* 22. *c.* 20. Inæqualis inquiunt: Nam donatio propter nuptias dotis donatione major eſſe poteſt. 13 Mulier morte mariti fine liberis mortui, donationem propter nuptias pleno jure lucratur, niſi pactum ſit contrarium. Quid ſi mulier præmortua? ejus heredes dotem tantum auferunt rebus propter nuptias donatis penes marium manentibus.
14 Extat hujus Novellæ Epitome apud Harmen. 4. *tit.* 8. §. 34. 15 Lances juſtitiæ æquales. 16 *l. ult. Cod. de dot. promiſ.* 17 Sententia d. legis ultimæ.
18 Emendatio d. l. ultimæ. 19 Senſus eſt, patrem (ſi ſolus dotem promiſit, vel donationem propter nuptias) ſolum exigi: ſi cum filio filiave promiſerit, pro ſua tantum parte convenire, niſi ex parte inæquali ſpecialiter promiſerit, atque ita, patrem, indefinite dotem promittentem, ac donantem propter nuptias, ſolum non exigi: quod d. lex ultima conſtituerat. Alii non male ſentiunt, ſpectandum eſſe, quonam jure pater dotem dederit: ut ſi tantum tutor ſiſtit, aut geſtor, non de ſuis bonis videatur filiam dotaſſe. vid. Wurmſ. *l. obſerv.* 37. §. 2. Interea videtur Leo ſecutus legem 22. §. 3. *in fin. ff. ſoluto.*
20 Adde *Nov.* 85. *J. eod. Nov. Juſtin.* 127. *c.* 3. 21 Conſuetudini quando cedendum. 22 Mulier primis nuptiis contenta, donationis propter nuptias uſumfructum habet: & præterea virilem proprietatis, in eadem *Novell.* 127. *cap.* 3.
23 Mulier non tranſiens ad ſecundas nuptias non tantum uſumfructum & proprietatis virilem in rebus donatis propter nuptias conſequitur: ſed in aliis rebus omni mariti virilem etiam habet. 24 Res ita conſtituenda eſt: Conjunx ſuperites non contrahiens ſecundas nuptias, lucra nuptialia poterat alienare. *l.* 5. *in fin. l.* 6. *in fin.* § 8. §. 1. *C. de ſec. nupt.* ut hinc colligas plenam proprietatem bonorum nuptialium veteri jure habuiſſe. Poſtea conſtitutum fuit, ut earum rerum proprietas liberorum eſſet, id eſt, ne in præjudicium liberorum alienaretur. *Nov.* 2. *c.* 2. Cui conſtitutioni poſtea derogatum, alienandi facultate pareſtibus permiſſa. *Nov.* 22. *c.* 20. §. 1. *ibi*, *omnem licentiam habebunt alienandi.* paulo poſt, facultas alienandi eiusdem fuit denegata. *Nov.* 98. *c.* 1. *in pr.* abſtinentiam, ut rebus in illis mater uſumfructum & eo amplius virilem proprietatis conſequeretur. *Novell.* 127. *c.* 3. Poſt hanc legem alia ſucceſſit, quæ non modo uſumfructum,

ſimul ipſius bonorum illi partem largitur. *Hanc* [1] *igitur conſuetudinem* [2] quoniam acerbam eſſe rebus mortalium non videmus, ut in aliis etiam faciendum putavimus, legis dignitate honeſtamus: illaque quidem dehinc [3] vim legis, non autem conſuetudinis obtineto. Ac ſi quidem omnes mariti facultates in ſola [4] donatione propter nuptias numerentur, cum hujus liberis ſuperſtes mater portionem quæ ad ipſam pertinet, pleno dominio accipiet, reſiduique uſumfructum habebit. At ſi ad donationem propter nuptias facultates non ſufficiant, non pro quantitate imminutæ donationis portionem mulier accipiet; ſed quæ tantundem habeat quantum haberet, ſi nihil imminuta & plena donatio propter nuptias eſſet. Hujusmodi igitur portione mulieri data, reliqua liberorum ſunto: &, ſi nihil ſuperfuerit, tanquam hereditatem, ſucceſſionis privationem & egeſtatem illi auferunto. Atque hæc quidem de muliere. Vir autem ſi liberos non habeat (quo modo alibi correctum & conſtitutum eſt) nihil neque accipiet, neque perdet: ſi habeat, neque alteris nuptiis uxoris deſiderium inaniat, liberorum educationis exhibitæque prioti matrimonio reverentiæ & honoris gratia, & ipſe unius liberorum portionem capiet [5].

CONSTIT. XXIII.

NE PRÆSIDES IN PROVINCIIS SUIS DOMESTICA [6] SPONSALIA CONTRAHANT.

Idem Imperator eidem Styliano.

DIgnum hercle humano ingenio magiſtratuumque virtute eſſet, ſi qui in magiſtratum aſſumuntur, eo quod ſupra multos alios gloria & honore fruuntur, religioſe præcepta Dei obſervarent, & cuſtodirent, provideque ſubditorum res curarent, nequaquam vero illos gravi manu opprimerent. At quia ſunt quos ferox iniquusque animus e recta præceptorum ſemita exorbitans, in perverſam tyrannicamque cupiditatem ducit, & pro reipublicæ cura efferati animi propoſitum exhibere facit, tanquam illos refrenatura lex [7] vetus ſtatuit, ne præſides in ſuis provinciis contractus & ſponſalia ineundi facultatem haberent. Atque hanc quidem juris rationem quum in filiis, nepotibus, & aliis conſtituiſſet, filiarum elocationem non prohibuit. Hoc igitur nos tanquam quod deſit [8] optimæ legi adjicientes, ſtatuimus, *ut quibus præſidatus obvenit*, quemadmodum filios alioſque virilis ſexus cognatos & domeſticos, ita quoque filias aliaſque fœminini ſexus perſonas, in ſuis quique provinciis in matrimonium collocare prohibeantur. Quid enim cauſæ eſt, quare filius, & ſi quis alius virilis ſexus eſt, decreto obnoxius ſit, filia vero a legis obſervatione libera permaneat? quum præſertim virilis ſexus ſæpenumero multis & modis & exercitiis ſibi, conjugi, aliiſque, quos affinitas conjunxit, utilis eſſe poſſit. Nam dignitates fortaſſe conſecutus, aut mercatura [9] aliqua inſtituta, aliave ſuſtentandæ vitæ cura ſuſcepta, neque ſibi (quomodo dixi) neque aliis propinquis inutilis fuerit. Quæ ut muliebris ſexus ſubeat, non fere idoneus eſt.

CONSTIT. XXIV.

NE FILII NATURALES CUM ADOPTIVIS MATRIMONIUM CONTRAHANT [10].

Idem Imperator eidem Styliano.

MUlti, dum priſca [11] tempora laudibus celebrant, prima illis in ordinandis conſtituendiſque rebus tribuere volunt. Atque illa in pleriſque recentiora vincere, ſcio quidem & ego: verumtamen in nonnullis [12] vinci etiam video. Et cum non pauca ſint, in quibus a recentioribus temporibus illa ſuperentur, tum vero maxime in adoptionibus id fieri conſpicitur: quas illa adoptiones neutiquam decenti cum ritu & ornatu faciebant, dum citra [13] divinum ſacrificium divinoſque cantus faciebant: & qui adoptari vellent, id illis ſimpliciter fieri lex permittebat. Unde uſu veniebat perſæpe, ut [14] ſororis appellatio in uxoris tranſiret, & quæ puella paulo ante filia dicta eſſet, nurus nomine compellaretur, aut filius qui eſſet, pro eo gener agnoſceretur: quando videlicet naturalis quemque adoptio in filiorum ordinem collocarat, matrimoniali commercio inter ſe jungerentur: ac ſusque deque iſtæc actio haberetur: quod cum ſacrum miniſterium non interveniſſet, nullum inde ad matrimonialem conſuetudinem exiſteret obſtaculum. Cæterum olim quum decenti ratione non adoptaretur, quanquam matrimonium [15] infame quiddam complecteretur, non tamen nefarium aliquid continebat. Verum *nunc* quum adoptio ſecundum [16] ritus tum decoros tum juſtos fiat, & per ſacroſanctum [17] ſacrificium hi in parentum locum, illi vero in filiorum jus ſubeant, nulla amplius reliqua ratio eſt, ut filii adoptivi cum naturaliter genitis in matrimonium connectantur. Quocirca etiam ſtatuimus, ut qui eo modo fratrum nomen ſubierint, iis nequaquam mutato fraternitatis jure in matrimonium jungi liceat.

CONSTIT. XXV.

DE EMANCIPATIONE, ET DOTIS RESTITUTIONE.

Idem Imperator eidem Styliano.

QUæ a veteribus Imperatoribus de emancipatione conſtituta ſunt, eximia illa quidem, dignaque quæ ab innovatione libera conſerventur, haud ſcio quomodo non decentem reverentiam obtinuerint: ſed, tametſi non omnino, at certe deſpici tamen cernantur. Non recte ſane. Quod enim ſtatuerunt, ſervis libertate donatis, non prorſus non offerri munificentiam poſſe, ſed ſi quis in unam aliquam vetitarum cauſarum, quæ libertatis dignitatem in ſervitutis habitum transformare poſſunt, malo animo commiſiſſe deprehenderetur, uti tum rurſum [18] in ſervorum locum deduceretur: illos religioſe omnes audiunt, legiſque lationem venerantur. Quod vero liberis parentum poteſtate ſemel liberatis, libera animi voluntate per omnia plene uti permittunt [19]: non viſum eſt audiendum, neque, quaſi illi improbanda ſtatuiſſent, decreto acquieſcendum. Sed manifeſtum nunc eſt, nulla id ratione (neque enim lege noviter lata reprobatum eſt) autoritate privatum eſſe. Quidam *ſaltem* judex cenſuit (& miror quo pacto cenſuerit) ne, qui liberi ſui juris facti eſſent, ſimpliciter poteſtatem quam cepiſſent, haberent, ſed niſi [20] ipſis liberi eſſent, liberum arbitrium abrogaretur, rurſumque patriæ poteſtati ſubjicerentur. Neque vero *ille* hoc unum *cenſuit* [21], ſed etiam ſi quis ex ſemine ſuo efflorеſcentem fœtum viderit, ac vero hunc mors torvis oculis inſpexerit, itaque ad liberorum orbitatem redactus ſit: uti ille pariter cum liberis liberam voluntatem amitteret, neque teſtamenti factionem haberet, neque quæ donata a parentibus eſſent, pro arbitrio adminiſtrare permitteretur. Atque hoc quidem ubi nonnullis placuiſſet, facileque a poſterioribus ſuſceptum eſſet, deſpecta veteri legiſlatione, in hodiernum uſque diem in republica valere conſpicitur. Nos itaque priſtinam legum hac de re autoritatem renovantes, ſtatuimus, *ne quis* illorum qui de dotis [22] reſtitutione diſceptant, rejiciatur, infectaque re inanis dimittatur. At quid ajunt illæ? ſi filius liberis orbetur, donum quod illi a patre proceſſerit, ad donatorem oportere reverti: quod vero aut a matre aut ab extraneo quopiam donatum filius habet, non item, niſi reverti debere id donatores pacto complexi ſint. Sed [23] quæ filiis patres inter emancipandum dederunt, apud eos qui acceperunt, irrevocabiliter permanere, illoſque de illis teſtari jubent: niſi pacti cujuſpiam, quum pater donaret, initi, obſtaculum ſubſit. Nos itaque in harum ſententiam pedibus euntes, *ſcire omnes* jubemus, ſi filius ſui juris factus, nulloſque liberos habens teſtetur: parentes illa duntaxat quæ ex lege Falcidia ad ipſos manant, niſi pactum (quo modo ſupra dictum eſt) initum ſit, percepturos: reliquos vero cognatos, quanquam ab inteſtato vocarentur, ut qui de reſtitutione pactum interponere neglexerunt, omnino nihil. Illud porro annotatu dignum, ſolius [24] virilis perſonæ in poteſtate eſſe filium dici. Cæterum quoniam præter alios modos hic quoque ſui juris filium eſſe oſtendebat, ſi qui ipſum in poteſtate habebat, (ſive is pater, ſive avus eſſet) libertate ipſum ſuo [25] ore donaſſet: nos hoc inſuper annectimus, ut [26] ſi pro ſuo ſaltem arbitratu vivere filius videatur (ſive id ejus verbis cujus ſub poteſtate degit, conceſſum fuerit, ſive verbis quidem conceſſum non ſit, ſed conſenſus tacitus [27] filio vitæ rationes ſeparatim inſtituenti non adverſatus ſit, verum ipſum ſuo modo ſeorſum vivere permiſerit) tametſi [28] a conjugii commercio liber ſit, jus tamen liberi arbitrii ratum illi & confirmatum ſit. Etenim ſi ſervi ſemel jugo emiſſi, dum mali non apparent, iterum illud trahere non coguntur: quomodo indignum non eſt, filios patria poteſtate liberatos, denuo ſub jugum mittere, ipſoſque perpetua libertate, qua, quomodo dixi, ſervi etiam fruuntur, expertes eſſe?

CONSTIT. XXVI.

UT [29] EUNUCHI ADOPTARE POSSINT [30].

Idem Imperator Styliano excellentiſſimo ſacrorum officiorum magiſtro.

MAgnum ſane excellenſque donum [31] a Deo creatore ad mortales promanavit, matrimonium. Non modo enim naturæ mortis [32] ingluviei obnoxiæ opem fert, humanoque generi perpetuitatem elargitur, id dum ab illa depaſcitur, non omnino deperire ſinens: verumetiam per liberorum procreationem permagna alioqui hominum vitæ præſtat. Nam quid ea quæ ex liberis percipitur voluptate ad oblectandos hominum animos ſuavius? aut vero quid in humanæ vitæ negotiis, cum aliis, tum quæ in ſenectute nobis ſe offerunt, utilius? Levari certe ſenectutis moleſtias liberorum miniſterio videmus. Verum quoniam eam utilitatem per matrimonii commercium conſequi non omnes valeant, voluit lex, & recte quidem, in eos, qui id donum a natura non accepiſſent, ſua benignitate beneficium conferre. At id propoſi-

virilemque donationis propter nuptias indulſit, ſed & virilem in aliis mariti bonis Ꞩ. *eod. ibi, ac poſterior lex.* His ſucceſſit conſuetudo, qua matri abſtinenti ſecundis nuptiis conceſſa eſt virilis in omnibus mariti bonis, quamque Leo hic confirmat, ut hæc conſuetudo differat a lege de qua edictum eſt Ꞩ. *eod. ibi, ac deinde poſterior lex*, non video. mihi non videntur diſſimilia, dari matri virilem in rebus donatis propter nuptias & aliis bonis mariti, *ut ibidem*, & eidem dari virilem in omnibus mariti bonis. Ut hinc notare liceat non eſſe de nihilo quod Harmenopulus operis ſui initio retulit, Tribonianum pretio leges fixiſſe & refixiſſe.

1 Extat 4. Harmenop. 10. §. 11. 2 Hanc conſuetudinem probat Leo *verſ. hoc igitur.* Ꞩ. *eod.* 3 Ex conſuetudine lex oritur. 4 Ὑποβόλῳ. 5 Plura vide ad hunc locum apud Harmenopulum ibi, §. 12.

6 Id eſt, quod antea conſtitutum, ne præſides eorumve filii ac domeſtici nuptias contraherent in provincia, id hac Novella extenditur ad filias præſidis, idque adjecit legi veteri. 7 *l. un. C. ſi rector provinciæ vel ad eum pertinent.* 8 Quod de filio conſtitutum fuerit in dicta lege unica, ad filias extenditur. 9 Mercaturæ utilitas.

10 Etiam poſt diſſolutam adoptionem, & ita lex 17. *ff. de ritu nuptiarum* abrogatur. 11 Antiquitas non omnis eſt melior novitate. 12 In nonnullis præſentia tempora antiquis potiora. 13 Ἄνευ τελετῆς θείας, καὶ ἱερῶν ᾠδῶν. eſt enim ita legendum non ὠδίνων, adde *Nov.* 89. Ꞩ. Veteres citra divinum ſacrificium & divinos cantus adoptionem faciebant, quod emendat Leo hac Novella. 14 Si inter adoptivos permittuntur nuptiæ, neceſſe erit, ut quæ antea mihi ſoror fuerit, uxor eſſe poſſit: ut, quæ mihi filia adoptiva fuerit, poſtmodum mihi nurus ſit, ſi filio meo adoptivo meam filiam uxorem ducere liceat, eveniet quoque, ut, qui filius antea mihi fuerit, idem mihi ſit gener, ſi filiam meam adoptivam ducere ei permittatur. Eſt autem abſurda nominum confuſio: ergo & inter fratres adoptivos nuptiæ. 15 Matrimonium inter fratrem adoptivum & ſororem adoptivam infame veteribus fuit, non tamen nefarium. 16 Adoptio fieri debet ritu decoro, & ſacroſancto ſacrificio interpoſito. 17 Διὰ τελετῆς ἱερᾶς. hujus conſtitutionis meminit alicubi Theodorus Balſamon, quibus adde & illud genus adoptionis quod fiebat *per baptiſmum.* Huc etiam referri poteſt adoptio *per arma*, qua Theodoricus Herulorum regem filium ſibi fecit, Caſſiodor. 4. *Variar.* & Juſtinianus Atalaricum, Caſſiodorus 8. *variar.* Deſiderio concordiæ factus eſt per arma filius. Idem autor *lib.* 8. Genſimundus armis filius factus eſt. Procopius 1. *belli Perſici* refert, cum Cabades Perſarum rex Juſtino Imperatori pacem obtuliſſet, ſi Coſroem ex ſorore filium adoptaret, conſilio Procli Juſtinum reſpondiſſe, paratum ſe id facere, ſed ita ut barbarum deceret, id eſt, per arma, non per literarum inſtrumenta: alioquin uſitata apud Romanos adoptione, jus ſui heredis Coſroi tribuiſſet. Erat & aliud genus adoptionis *per comam, ſive per capillos.* Paul. Monachus 6. *de geſtis Longobardorum.* Circa hæc tempora Carolus Francorum princeps filium ſuum ab Luitprandum miſit, ut ejus juxta morem capillum ſuſciperet, qui ejus cæſariem incidens, ei pater effectus eſt. vid. P. Pithæum 1. *adv.* 1.

18 *l. 2. C. de libertis.* 19 Legibus ſolvuntur liberi patria poteſtate per emancipationem: revocantur tamen in patris poteſtatem ingratitudinis cauſa. *l. unic. C. de ingratis liberis.* Quod cum ita ſit, qui fit, ut Leo dicat hoc non audiendum? Immo quo jure ſimpliciter dicitur legibus permitti plenam omnino poteſtatem emancipatis, nullamque mentionem facit ingratitudinis legibus damnatæ? Non modo hic locus eſt corruptus, ſed integra Novella. 20 Hoc ait, Emancipatos ingratos in patriam poteſtatem ob ingrati vitium revocari. 21 Hoc caput exiſtimo referendum ad emancipatos ingratos (de quibus agi ſatis conſtat hujus Novellæ principio) eo ſenſu, Emancipatos ſi liberos habeant, non revocari in patriam poteſtatem: ſed tamen teſtari de profectitiis non poſſe. 22 Locus eſt corruptus. 23 *l. 2. C. de emancipationib. liberorum: l. 8. C. de bonis proſcriptorum: l. 17. C. de collat.* 24 Hoc oſtendit filios non eſſe in poteſtate matrum aut aviæ. *leg. 13. ff. de ſuis: leg. 8. Cod. de præſcription. longi temporis: l. 5. C. de adoptionibus.* 25 Emancipatio non requirit ſcripturam. Imo requirit. *l. 2. C. de emancipationib. liberorum.* 26 Hujus conſtitutionis meminit Harm. 1. *tit.* 17. 27 Tacito conſenſu filius emancipatus dicitur, ſi patre non ignorante ſeparatim rationes inſtituit, aut ſeorſim vivit, tametſi conjugem non habet. & ita abrogatur *l. 3. C. de emancipat.* quæ negat nudo conſenſu (citra ſolennitatem verborum) filios emancipari. 28 An id videtur velle? Filios nuptiis contractis voluntate patrum tacite emancipatos videri? non arbitror, quantumvis in multis locis hodie ſit receptum.

29 Abrogatur §. 9. *Inſtit. de adopt. l. 2. §. 1. ff. de adopt.* 30 17. dicitur 2. Harm. 8. 4. 31 *Novell.* 22. *Novell.* 39. 32 Laus matrimonii ſumpta ab utilitate & voluptate.

tum

tum non ita erga omnes ſervavit, ut omni defectu vacuum beneficium daret. Aliis enim etiam extra matrimonium [1] acquirendi liberos poteſtatem fecit, alios hujus beneficentiæ exortes reliquit. Quanquam ejus legis, quæ in hoc ſemel edita eſſet, ut liberorum orbitate qui nullos haberent, liberaret, ac ſua ope patres, quibus ex matrimonio id eſſe non contigiſſet, efficeret, pertinere ad omnes beneficentiam conveniebat. Verum illa id ita non vult: ſed rejicit illos qui lethalia paſſi ſunt: quorum tamen quod injuria affecti, generandique facultate privati ſint, miſereri par erat. Repulſæ autem cauſam hanc ponit, quod dicat: Quos [2] natura ad generandum non idoneos noverit, hos neque legem hoc beneficio affecturam. At vero non [3] natura, ſed hominum injuria his generandi vim ademit. Qui homines, ſi præter injuriam quam ab hominibus ſuſtinuerunt, alteram per leges non ſubirent, dignum fore Imperatoria noſtra majeſtas rata ſtatuit, ut ſi adoptare vellent, liberam id faciendi poteſtatem haberent [4]. Exiſtimo enim illic beneficium magis eſſe neceſſarium, ubi ejus impenſius requiritur utilitas. Eunuchis autem præcipue liberorum acquiſitio, quæ per legem ſit, eſt neceſſaria, eoque magis, quod una hac ratione, ut patres ſint, conſequantur: itaque liberorum miniſterio ipſis frui contingat: quo inhumanum eſſet, ſi, quod genitalibus privati ſint, inſuper etiam privarentur. Sed quemadmodum [5] cui [6] vocis uſus ademptus eſt, quæ linguæ munia ſunt, per manum adimplere, & qui ſermonem labris fundere nequit, per ſcripturam ad ordinandas res ſuas procedere non prohibetur [7]: ita neque qui, quod genitalibus privati ſunt, liberos habent, horum indigentiam alio modo compenſare vetandum eſt.

CONSTIT. XXVII.

UT PARITER [8] OMNIBUS [9] ADOPTARE LICEAT.

Idem Imperator eidem Styliano.

CUm eos qui ſua induſtria rem aliquam humanæ vitæ utilem adinvenire ſtudent, in commune illam proponere, quam [10] certis hominibus devovere alioſque ejus expertes relinquere decentius ſit: tum vero longe magis legum beneficium commune eſſe convenit. Nam ſicut ſub principe, virtute: ſic ſub legibus, quotquot illis paremus atque ſubditi ſumus, illarum beneficio in commune frui debemus. At quid ſibi vult hoc procemium? Quod quum liberorum orbitate infelices liberare infortunio lex vellet, adoptare, & quod a natura accipi non poſſet, opinione comparare, jubendo, non erga omnes ſimiliter ſervarit propoſitum: atque viros quidem & mulieres, quas natura, poſtquam matres noviſſet [11], ademptione ſobolis ad liberorum orbitatem redegiſſet, adoptandi jure donarit: eunuchos [12] vero & mulieres, e quarum ſinu nondum ullus fœtus effloruiſſet beneficio indignos cenſuerit, tam viliter neſcio quomodo ratiocinata. Non enim quia hoc incommodo, ut natura patres eſſe nequeant, eunuchi affecti ſint, continuo, idem incommodum lege augeri [13] oportet: ſed e diverſo ejus rei defectum alio modo compenſari non prohibere, longe magis par eſt: quemadmodum aliis membris, quæ ad actiones naturales requiruntur (ut manibus [14], pedibus) mutilatis, aut ſi qua alia parte privati ſint homines, illi quocunque poſſunt modo, mutilationem ſarcire non prohibentur. Jam vero neque mulieres quia matres non fuerint, ne adoptent, coerceri, rationi conſentaneum eſt. Quæ enim ratio eſt, ut illis, quod liberis orbatæ ſint, denuo acquirendorum liberorum jus largiare: has vero, quod iſtiusmodi poſſeſſionis prorſus inopes fuerint, per omnem vitam in illa inopia vivere velis? Et certe ſi [15] hæc præcipua liberorum utilitas eſt, ut parentes in ſenio ſuſtentent: quo pacto non tam his quam illis ex æquo ut beneficii participes eſſent concedere æquum fuit? Sic enim quibus tenues arctæque facultates ſunt, filiorum ope & auxilio levior paupertas eſſet: quæ vero illas omni rerum copia affluentes habent, & his adoptio conduceter. Nam qui in filii locum aſſumptus eſſet, is & inſerviens matri, & pro illa quæ par eſt filium facere ſedulo exequens, quum bona illius, ita ut in ſuo ſtatu manerent, adminiſtraret: tum cum matre curarum onus partitus, ut illa tranquillius lætiusque viveret, efficeret. Noſtra itaque Imperatoria Majeſtas, iis legibus quæ adoptare his quos diximus non permittunt, adminiſtrationem abrogans, evulgat legem, quæ *omnibus qui* adoptare velint, ſive quiſpiam virili facultate orbatus ſit, ſive aliquam [16] necdum matrem Sol viderit, ejus faciendi poteſtatem facit: non ſolum autem ob commoditates quas ex adoptione manare dixi, ſed etiam quod inde virginitatis decus cohoneſtari animadvertam. Si quidem quæ conjugali conſuetudini virginitatem anteponunt, interimque liberorum deſiderio punguntur, quum id extra matrimonii conſuetudinem conſequi ſe poſſe videbunt, virginitatis honeſtatem negligere non ſuſtinebunt. Neque [17] porro verum eſt, ut quia mulieri liberos in poteſtate habere permiſſum non eſt, idcirco illi adoptare non liceat. Primum [18] enim, quia ſi quis hoc admittat, non modo mulieres, quæ nunquam pepererunt, verumetiam quæ matres extiterunt, ab adoptione arcet. *Fœmina* enim (ut lex [19] inquit) *habere in poteſtate non poteſt.* Deinde [20] quæ hoc ſanxit lex, loquitur de illis qui a matribus recedentes ſeorſum ſuo arbitratu vivere malunt: non item vero de iis qui materna imperia libenter tolerant, ipſarumque præſcriptis per omnem vitam parere propoſuerunt. Non igitur obedientiam & famulatum voluntarium, quanquam is rarus ſit, lex prohibet: ſed illic fœmina poteſtate privatur, ubi voluntatis aſſenſus ad obedientiam non coit. Nam ſi hoc ita ſit, quomodo multæ matres jam viduæ liberos ſecum una viventes & ſubditos ad extremum uſque diem habent & animam in illorum manibus expirantes maternæ benedictionis ſuarumque facultatum illos relinquunt heredes? Porro & illud etiam Imperatoria noſtra Majeſtas benigne ſubditis largitur, *ut non modo ab Imperatore* (quemadmodum vetuſtiores [21] leges præcepere) ſed etiam a quocumque, cui cujuſcunque loci rectio injuncta erit, qui adoptare volet, id faciendo facultatem accipere poſſit.

CONSTIT. XXVIII.

* QUO TEMPORE [22] ET A QUIBUS RERUM SUARUM ADMINISTRATIO ADULTIS CONCEDI DEBEAT.

Idem Imp. Styliano excellentiſſ. ſacrorum officiorum magiſtro.

QUandoquidem hoc etiam legiſlatoribus recte placuit, ut [23] minoribus curatores præficerentur, qui parentum de illis curam ſupplentes, & ætatis imbecillitatem curæ haberent, & bona convenienti ſolicitudine illæſa conſervarent: quod legiſlationi recte ſe habenti deeſt, ex nobis addendum putavimus. At quis ille defectus eſt? Quod a ſolo Imperatore, juſſis recedere curatoribus, rerum adminiſtrationem tradi minoribus: idque quum jam præfinitæ ætatis modum attigerint, (quem maribus vigeſimus, fœminis vero decimus octavus annus tribuit) & tanquam ad hanc ætatem, qua ſapere recteque atque utiliter res ſuas adminiſtrare poſſunt, jam pervenerint, in plenam rerum ſuarum poteſtatem collocari velit. Verum quoniam ut ſapiant, omnibus non [24] eadem ætate contingit, non ita ſimpliciter ſtatui, neque ex ſola ætate ad rerum ſuarum gubernationem pariter omnes produci oportebat; ſed erat quam ætatem cujuſque eorum qui rerum ſuarum adminiſtrationem ſuſcepturi eſſent, ſtatus requireret, inſpiciendum. Quid enim? an quum hic, poſtquam eam ætatem egreſſus ſit, nondum autem ſatis ſapere cœperit, adminiſtratione dignus judicatus fuerit: ille, quanquam etiamnum infra eam ætatem ſit, prudentia tamen non deſtituatur, ut recte res ſuas adminiſtrandas ſuſcipere non poſſit, ab adminiſtratione arcendus erit? Quando igitur non [25] minus animo quam corpore inter ſeſe homines differunt, & alii etiam ante legitimum tempus rationem bene conſtitutam habent: aliis vero etiam id ſupergreſſis mens nondum ſtabilita eſt: quod lex hæc ita vellet, ut defectuoſa eadem eſſet, factum eſt. Quin & alia hujus legiſlationis incommoda ſunt. Ac primum quidem quod difficile, imo vero prorſus impoſſibile ſit, ut ad omnes legiſlatoris voluntas pertingat. Quomodo namque qui longis terræ mariſque diſtinentur intervallis (ut interim alias vitæ difficultates, ut morbos, inſidiarum hoſtilium metus, membrorumque mutilationes omittam: quæ perſæpe difficultates, ne in ipſo quidem domicilii loco prodire, nedum longinquam profectionem ſuſcipere permittunt) quomodo, inquam, hiſce, ſexcentiſque, quæ mortalium vitam allidunt, rebus aliis *adoleſcentes* impediri, rerum ſuarum adminiſtrationem ab unius Imperatoris nutu petent? Quod ergo (ſicut ſuperius diximus) legiſlationi deerat, id adimplentes, jubemus, ut [26] *qui puberes* imperfectæ ætatis tempus jam ſuperarunt (mares nempe annum XX. fœminæ vero XVIII.) animumque ad res gerendas idoneum habent, ac prudentiam, qua adminiſtratio refrenata res non labefactet, ut illa nocenter conceſſa non videatur, collegerunt: his plena rerum ſuarum autoritas detur. Accipiunto itaque hi, juſtaque poteſtate res ſuas agunto. At quibus rerum recte gerendarum judicium adhuc deeſt, eo quod ſibi ipſis (utpote qui quum gubernare debeant, imprudentiæ imperio regantur) damnoſi futuri ſint, etiamſi id tempus prætergreſſi fuerint, non percipient. Si quidem ſi, qui propoſitus finis erat, ut bona recte adminiſtrarentur, is necdum præſens ſit, qua ratione, quanquam ætas advenerit, cum periculo ipſis committentur, quæ ipſius procuratione non recte adminiſtrabuntur? *Ad hunc* ergo modum qui rebus prudenter præeſſe poterunt, tametſi [27] ad adminiſtrationis tempus haud dum pervenerint, non prohibebuntur. Unum eſt enim quod requiritur, ne bona labefactentur. Quod quum adſit, ſupervacaneum eſt ætatem expectare. *Et non tantum* Imperator rerum ſuarum procurationem adminiſtrationemque concedet, verum etiam [28] quibus cujuſque loci magiſtratus obtigerit, plenamque juriſdictionem habent. Ita enim legiſlatoris providentia omnibus qui indigebunt, utilis erit, atque lex vim ſuam magis exeret.

CONSTIT. XXIX.

* UT ANCILLARUM PARTUS APUD ALIUM EDITUS, AD IPSIUS DOMINUM SEQUATUR.

Idem Imperator eidem Styliano.

QUemadmodum hunc ſermonem, qui nullam præ ſe fert mendacii perverſitatem, verum eſſe atque rectum ſcimus: ita etiam veram legem, quæ iniquitate perverti non deprehenditur. Atque adeo ſi qua id non obſervat, ea lex non eſt, quamvis ea appellatione digna habita ſit. Si enim hoc legis eſt [29], *ut cuique jus ſuum tribuat*, quomodo quæ hoc non præſtat, lex erit? *At cum aliæ etiam* nomine tenus leges in id committere deprehenſæ ſunt, tum vero illa [30] maxime, quæ partum ancillæ, quæ non apud dominum, ſed furto aliove modo ſubducta, apud alium quempiam peperit, poſtquam facinus innotuit, non cum matre ad ſuum dominum abire, ſed ab hoc quem alieni mancipii dominum fuiſſe conſtat, detineri jubet. Hoc itaque quia non recte ſe habere viſum eſt, convenienti medela nos dignati, uti ſuus matrem partus ſequatur, jubemus. Non enim quia fur, quæ lex domino perſolvi debere decernit, obtinet, idcirco etiam ille ancillæ ſuæ partu privari, eumque alius lucrari debet. Ad lucrum autem huic ſatis ſit, quod [31] illa ad miniſterium

1 Per adoptionem ſcil. 2 Ratio dubitandi ſumitur ex §. 9. *Inſtit. de adopt. l. 2. §. 1. ff. de adopt.* Poteſt ſic ea augeri: heredem inſtituere Eunuchis non licuit. *l. 6. §. 1. ff. de liber. & poſth.* vel matrimonium contrahere, *l. 39. in fin. ff. de jure dot.* nam quod dicitur, pro morboſis haberi, id levius eſt. *l. 7. ff. de ædilit.* hodie teſtamentum facere poſſunt. *l. 5. C. qui teſtam.* 3 Eunuchi non fiunt natura, *ut hic:* licet in quibuſdam ſpadonibus contra *l. 128. ff. de verb. ſig.* quibus adoptio permiſſa. *l. 40. in fin. ff. de adopt.* differunt enim a caſtratis de quibus hic agitur, dixi ad *d. l.* 128. 4 Olim caſtrati adoptare non poterant. & ita abrogatur §. 9. & *d.* §. 1. 5 Ratio decidendi ſatis elegans, poſſis & a ſimili id etiam confirmare, licet Eunuchis teſtamentum facere. *l. 5. C. qui teſtamenta.* ergo & adoptare. 6 *l. 10. C. qui teſtamenta.* 7 Et e contra qui manus amiſit, verbis teſtari poteſt, *l. 10. ff. qui teſtamenta.*

8 2. Harm. 8. §. 4. 9 Etiam fœminis quæ nunquam liberos habuerunt. & ita abrogatur §. 10. *Inſt. de adopt.* & *l. 5. C. de adopt.* 10 Superflue uni aut paucis ſcribitur, ubi eſt cauſa cunctorum. Salvian. *ad eccleſ.* adde *Nov. Juſt.* 60. *cap.* 1. *in fin.* 11 Senſus eſt: Veteri jure fœminis (quæ matres fuiſſent) tantum licuiſſe adoptare in ſolatium liberorum amiſſorum, *l. 5. C. de adopt.* 12 Eunuchi & mulieres improles, adoptare jure veteri non potuerunt. De Eunuchis dixi ad *Novell.* 26. Ꞩ. *eod.* 13 Afflictio nullius augenda *Novell.* 40. Ꞩ. *eod.* 14 Qui manus amiſit, verbis teſtari poteſt. *d. Nov.* 26. & *l. 10. ff. qui teſtam.* 15 Ratio decidendi. 16 Senſus eſt: Fœminas (licet nunquam habuerint liberos) adoptare poſſe. 17 Ratio dubitandi. 18 Prima refutatio dubitationis. 19 Vid. *l. 5. C. de adopt.* §. 10. *Inſt. de adopt.* Ulp. 8. §. 9. 20 Secunda refutatio. 21 *d.* §. 10.

22 Etiam ante 20. & 18. Qui non ſemper 20. aut 18. quod addi oportet legi 2. *C. de his qui veniam ætatis.* 23 *Inſt. de curat.* 24 Non omnes eadem ætate ſapiunt. 25 Non minus animo quam corpore, inter ſe homines differunt. 26 Vid. *C. de his qui veniam ætat. impet.* 27 Idque additur legi 2. *C. de his, qui veniam ætatis.* 28 Idque additur legi 1. 2. 3. 4. *C. de his, qui veniam ætatis.*

29 *l. 10. ff. de juſtitia & jure.* 30 *l. 10. in fin. l. 33. ff. de uſucap. l. 48. §. 5. ff. de furt.* 31 Ex hoc loco poteſt defendi. Tutorem pupillæ plenam alimentorum penſionem imputare non poſſe, ſi pupillæ miniſterio ſuum ad compendium uſus fuerit.

rium